to, quum iram meretur, qui [illegible] egeno in indulgentias redi-
mit. Sed plura de eo volente videbis, ubi nostrarum po-
sitionum probationes edidero. Ita enim rogant me homines illi,
ipsa rudiores ruditate, qui in omnibus concionibus me
hereticum clamant, quin eo furiunt usque, ut universitatem
Wittembergensem propter me infamem contendunt facere &
hereticam. Ego multo amplius laboro, quomodo me
ipsum cohibeam, ne illos contemnam & sic peccem in Christum,
quam quomodo eos triumphem, adeo enim sunt vacui huma-
narum & divinarum literarum, ut dedecoris sit res ple-
nissima cum illis certare, atque ea ipsa ignorantia
tamen, incredibilem illis parit audaciam & plusquam ferream
frontem. Solis autem suarum larvarum & lemurum sunt
umbris animosi, quibus adeo sunt referti, & ut eorum
quoque mox scribam, inessentiati, ut desperandum pror-
sus sit de eorum correctione. Unum illud te nosse volo,
quod vehementer doleo, videlicet, illi ipsi Rabulae
& multi alii cum illis nova machina instructi, ubique
garriunt Principis nostri illustrissimi esse, totum quod dico
ago, tanquam inductus ab eo ad invidiam Archiepiscopi
Magdeburgensis. Tu quaeso consule quid hic faciendum,
Principi ne sit aperiendum, ego mei causa Principem
in suspicionem venire egerrime omnium fero. & inter tantos
Principes dissidii origo esse valde horreo & timeo. Possum
sustinere ut me princeps offerat ad quaecunque dispu-
tationem vel iudicium, modo publica mihi detur fides.
tantum ne innocentem Principem in mei quoque invidiam
involvant. Vide monstrosum hominum genus & tenebrarum
populum lucis inimicum. Johannem Reuchlin ultra tres
provincias invenerunt & traxerunt invitum, me ante
fores invitantem & rogantem spernunt & in angulis
garriunt, quod defendere se non posse vident. Sed
vale tandem, & macrologo ac perissologo mihi igno-
sce, cum amico enim verba feci. Ex nostro Monasterio
15 Feb 1518

f. Martinus Eleutherius
Augustinensis.